

baptisma sunt, morem Ecclesiae Romanae teneant et observent. Ritus vero seu consuetudo, quam habere dicuntur unguendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel removeri non potest, cum sive fiat sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam, utrum in frigida vel calida aqua baptizent, cum parem vim et effectum in utraque baptismum habere asseverare dicantur.

§. 5. *Soli autem Episcopi consignent chrysmate in frontibus baptizatos,* quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrysmatio repraesentat, spiritum sanctum tribuisse leguntur. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesiis in die Coenae Domini possunt, secundum formam Ecclesiae, chrysmata conficere ex balsamo quidem et oleo olivarum. Nam Spiritus Sancti donum in chrysmatis unctione conferunt. Et columba utique, quae ipsum designat Spiritum, olivae ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum Ritus in hoc Graeci potius servare voluerint, videlicet quod Patriarcha unacum Archiepiscopis et Episcopis ejus suffraganeis et Archiepiscopi cum suffraganeis suis simul chrysmata conficiant, in tali eorum consuetudine tolerantur. Nullus autem per Sacerdotes vel confessores pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo inungatur. *Infirmis vero, juxta verbum Jacobi apostoli, unctio exhibeatur extrema.*

§. 6. *Porro in appositione aquae sive frigidae sive calidae vel tepidae in altaris sacrificio* suam si velint consuetudinem Graeci sequantur, dummodo credant et asserant, quod servata canonis forma conficatur pariter

de utraque. *Sed Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam usque ad annum, praetextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent.* Liceat tamen eis, pro infirmis ipsis, Corpus Christi conficere ac per quindecim dies et non longiori temporis spatio conservare, ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet veritas et efficacia semper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate seu volubilitate temporis evanescat.

§. 7. In celebratione vero solemnium et aliarum Missarum *et de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam et traditam observent et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur.*

§. 8. Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo, sed Missam celebrare, *priusquam Officium matutinale compleverint, non praesumant.*

§. 9. *Promovendi vero ad Sacerdotium et Presbyteri, qui praeficiendi fuerint ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de horis canonicis et Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad haec nonnisi digni et idonei admittantur.*

§. 10. Caeterum unusquisque Sacerdos in aureo vel argenteo solum aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum et nitidum et altare mundis vestimentis operatum vel decentibus paramentis.

§. 11. *Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.*

§. 12. *De jejuniis vero diei Sabbati quadragesimali tempore (quamquam honestius et salubrius Graeci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, ut*

nec unico die institutum jejunium violarent) teneant et servent pro libito morem suum.

§. 13. *Sacerdotes quoque conjugati et alii, quibus parochiarum cura vel ecclesiarum parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire ipsisque poenitentiam injungere pro peccatis, quia cui licet vel conceditur, quod est majus, competit nimirum nec negari convenit, quod est minus. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, viros alios idoneos coadjutores et cooperatores habere in audiendis confessionibus et poenitentibus injungendis ac caeteris, quae ad salutem pertinent animarum, ipsisque in his per eorum dioeceses absque Sacerdotum ipsorum praesudicio et gravamine committere vices suas, cum propter occupationes multiplices et occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem dioeceses Officium suum exequi per se ipsos.*

§. 14. *De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarius quam adulterus a regno Dei apostolus asserat alienos.*

§. 15. Ad haec volumus et expresse praecipimus, *quod Episcopi graeci septem ordines secundum morem Ecclesiae romanae de caetero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel praetermississe dicantur.* Illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerantur.

Datum Laterani die 6. Martii 1254.

(Bull. r. t. III. p. 580. Ed. Aug. Taur.)

9) Graeco-Latinus.

Dignitas „Protopapae“ in Ecclesia Collegiata s. Mariae del Grafeo Messanen. ejusdemque libera electio necnon Ritus Graeco-Latini observantia ipsius Ecclesiae Clero in perpetuum asseritur.

Benedictus Papa XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Romana Ecclesia omnium Catholici Orbis Ecclesiarum Mater et Magistra assiduis Pontificiae sollicitudinis Apostolicae caritatis ac supremae auctoritatis studiis sedulam vigilemque in eo potissimum operam posuit, ut omnia et singula Ecclesiarum diversisque in divinatorum officiorum et sacrosancti Missae sacrificii celebratione Ritibus, linguis et caeremoniis, per sacros canones et ecclesiasticam disciplinam comprobatis et confirmatis, utentium jura, privilegia, indulta, decora, praerogativa, dignitates, gradus et honores quoad sibi integrum fuisset, tueri, confirmare et adaugere adniteretur. Quam ob rem adeo vetustae antiquitatis et integerrimae traditionis tenax fuit, ut ea, quae in quibusvis Ecclesiis sapienter statuta et sanctissime custodita reperiuntur, non solum inviolabili etiam supremae apostolicae auctoritatis ac firmitatis robore communire studuerit, verum etiam apostolicis mandatis et sub ecclesiasticis censuris ac poenis in posterum servanda mandaverit.

§. 1. Quoniam autem, sicut accepimus, munus sive dignitas *Protopapae*, cujus auctoritas ac praerogativa plurimi semper in omnibus fere Constantinopolitani Patriarchatus Cathedralibus Ecclesiis habita fuerat, Messanae, quemadmodum in nonnullis aliis civitatibus et dioecibus reperitur, adhuc extat in Collegiata Ecclesia sub invocatione s. Mariae del Grafeo, inde *Catholica* dicta, quod Ecclesia hujus-

modi, ut asseritur, sub Graecorum imperio in Spiritus Sancti ex Patre Filioque procedentis confessione cum Romana Ecclesia invicem unita permanserit et in eadem Ecclesia semper a tunc temporis Divina Officia et Sacrosanctum Missae Sacrificium graeca quidem lingua sed Latino Romano Ritu celebrantur; nam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in azymo conficitur, sacrae vestes et sacerdotalia indumenta ad instar Latinorum adhibentur et dies festi juxta Calendarium Gregorianum servantur, praeter alia, quae adhuc religioso cultu peraguntur.

§. 2. Hinc est quoad Nos, quibus omnimoda universalis Ecclesiae servitus atque adeo omnium ecclesiarum sollicitudo a pastorum principe Jesu Christo injuncta est, eandem Ecclesiam in eo bene constituto, quem hactenus egregie servaverunt et de praesenti laudabiliter servant, statu deinceps firmiter permanere et constabili cupientes motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis Propagandae Fidei praepositorum consilio Dignitatem antedicti *Protopapae* cum omnibus insigniis, praerogativis, privilegiis, facultatibus, jurisdictionibus, juribus, exemptionibus, titulis, honoribus et oneribus, quibus alii *Protopapae* antecessores de jure, usu, consuetudine et indultis, legitime tamen et canonice et de Apostolicae hujus Sanctae Sedis licentia, benignitate et concessione hactenus usi, frui et gavisus sunt, tenore praesentium approbamus et confirmamus, necnon volumus et mandamus, ut perpetuis futuris temporibus omnino servetur, quemadmodum a plurimis saeculis servatus est, in eadem Ecclesia s. Mariae del Graeco Ritus Graeco-Latinus, nimirum divina

Officia et Sacrosanctum Missae Sacrificium graeca quidem lingua et idiomate celebrandi, sed cum sacris vestibus et sacerdotalibus indumentis latinis et juxta Calendarium Gregorianum atque in azymo, prout antehac in usu positum et servatum est.

§. 3. Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine paribus volumus et mandamus, ut antiqua consuetudo, cum *Protopapam* hujusmodi viam universae carnis ingredi contigerit, *unum ex coetu et corpore Cleri dictae Ecclesiae dumtaxat* (in quem Clerum deinceps perpetuis futuris temporibus nullum omnino nisi eodem Graeco-Latino Ritu, ut praemittitur, initiatum, cooptari et incorporari pariter volumus et mandamus) *in Protopapam pro tempore existentem ab eodem Clero eligendi et constituendi sanctissime custodiatur*; quamcumque vero electionem *Protopapae* hujusmodi aliter, quam ut praemittitur, factam aut quodcumque faciendam, nunc pro tunc annullamus irritamque ac nullam irritamque esse et fore, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus declaramus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae seu alias sufficienter aut etiam ullatenus justificatae non fuerint aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio seu intentionis nostrae vel quorum-

vis interesse habentium consensus aut alio quovis quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato defectu, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci seu adversus illas aperiitionis oris restitutionis in integrum aut aliud quodcumque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessio, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas et in eis contenta quaecumque, firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et quosvis alios quacumque praeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Quocirca dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori necnon Ven. Fr. moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo Messanensi committimus et mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum, per se vel per alium seu alios, perpetuis futuris temporibus, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte *Protopapae* et Cleri dictae Ecclesiae pro tempore pariter existentis fuerint requisiti, si opus fuerit, solemniter publicantes et *Protopapae* ac

Clero praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra apostolica *Protopapam* et Clerum hujusmodi praemissorum omnium et singulorum commodo, effectu et jure pacifice frui et gaudere, non permittentes *Protopapam* et Clerum hujusmodi desuper a quocumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 6. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Ecclesiae et nationis Graecorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

Die 18. Mart. 1743.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 266. Ed. Rom.)

10) Indiarum.

De Ritibus, Caeremoniis, Usibus et Consuetudinibus Indiarum Orientalium observandis seu vitandis, permittendis aut abolendis, vd.: Bullam Bened. XIV. die 12. Sept. 1744 (Bull. r. t. XVI. p. 231—246. Ed. Luxembg.).

11) Latinus.

Vd.: *Ritus romanus*.

a) Utrum Laicus graecus ad Ritus latinum transire possit?

Vd.: *Ritus lat.* (Utrum in Ordinatione etc.); *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. 2. n. 11, 13. etc.; §. 6. n. 11.; Constit.: *Allatae* §. 20. 31.); *SS. Sacram.*

(distrib. — utrum laicus latinus etc. —; distributionis Ritus graecus etc.)

b) Praestantia supra graec. Riturum.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit.: *Etsi pastoralis* t. III. p. 247 n. XIII.)

c) Utrum in Ordin. ad Ordines major. promovendi Clerici Italo-Graeci, ad Ordines minor. Ritu latino promoti. Ritus graecus vel latinus adhibendus sit?

Vd.: *Ordinatio graecor.*; *Ritus graecus* (praecipue t. III. p. 253 n. 6. 7. etc.; p. 255 n. 20—22. etc.); *Ritus lat.* (utrum presbyt. graecus etc.)

Rossanen.

Joannes Andreas et Franciscus Antonius fratres Masci graeco Ritu baptizati in Italo-Graecorum Oppido s. Georgii dioec. Rossanensis vigore literarum dimissor. sui Ordinarii fuerunt Ritu latino ad primam clericalem tonsuram et quatuor minores Ordines promoti a latino Episcopo Bisiniansi sine ulla tamen Sedis apost. licentia, pluriesque in susceptis ordinibus ministrarunt. Suspensionem propterea et irregularitatem ab eis incursum fuisse reputans quidam Basilius Chinigo ea praesertim ratione, quod antecessoris Archiepiscopi Rossanensis licentiam transeundi de Graeco ad Latinum Riturum obtinuerint praefati Clerici solum post susceptos ordines, illos detulit hodierno Archiepiscopo atque ostendere nisus est Archipresbyteri loci testimonio, nullam utilitatem, quinimo perturbationes et lites illius oppidi Ecclesiae graecum Riturum profitenti omnino fore allaturos latine promotos. Quare moniti ab Archiepiscopo iidem Clerici obligationem emiserunt se gerendi pro suspensis et irregularibus, donec absolutionem et respective dispensationem impetrassent a S. Sede.

Preces itaque obtulerunt SS. D. Nostro absolutionem et dispensationem postulantes, ut idonei fierent S. Ordinibus suscipiendis eodem Ritu latino. Et cum postulationis ejusdem notionem SS. Mus delegasset huic S. C., auditus fuit de more Archiepiscopus, qui censet absolutionis et dispensationis beneficio dignos videri Oratores, cum nihil dolo egisse profiteantur, sed circa optatum ab eis ascensum ad majores ordines Ritu latino suam non aperit animi sententiam, narrans solum, quod delator Chinigo nonnullique alii ejusdem oppidi contendunt, decernendum esse oratorum regressum ad graecum Riturum, ut illic duorum Riturum evitetur confusio. Tria idcirco proponuntur dubia, in quibus quaeritur de oratorum absolutione ac dispensatione deque illorum ascensu ad majores ordines sive graeco sive latino Ritu.

Ad absolutionem et dispensationem quod attinet, opportunum videtur inquirere: num revera oratores in suspensionem incurrerint propter ordines susceptos a latino Episcopo et num exercendo minores ordines sub suspensione irregularitatem contraxerint, ut autumat Archiepiscopus fretus Constit. s. m. Bened. XIV. edita pro ritibus Italo-Graecorum, quae incipit: *Etsi pastoralis*. Sane oratores, qui baptizati fuerunt graeco Ritu, inter Graecos connumerandi sunt „cum per baptismum fiat suscepti Ritus graeci vel latini professio, ita ut ad latinum Riturum spectent, qui latinis caeremoniis baptizati fuerint, qui vero Ritu graeco Sacramentum baptismi susceperint, in Graecorum numero sint habendi“ ut legitur in eadem Const. §. 2. n. 11.

Verum transitus a graeco ad latinum Riturum solis Ecclesiasticis interdicitur absque expressa Sedis Ap. licentia, Laicis vero, ut ad Riturum latinum transire possint, Episcopus dioec. pro sua

prudencia permittere valet, juxta censuram dictae Const. §. 2. n. 14., cum qua concordat epistola encyclica ejusdem SS. Pont.: *Allatae sunt etc.**), ibi: „Quamvis autem aequum videri posset liberam Italo-Graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Ritu graeco ad latinum, cum ipsi inter nos versentur et latino Episcopo subjiciantur, tamen constitutum est, ut Sedis apost. auctoritas omnino requiratur, si de Ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus agatur, si vero Laici et Saeculares transitum hujusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob justas et legitimas causas certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, nunquam vero integrae universitati.“

Sed hodiernus Archiepiscopus in transmissa relatione disserit solam Ordinarii veniam minime sufficere, ut Laici Italo-Graeci ascendere valeant ad Ordines latino Ritu animo latine vivendi, putans supra relata verba Constitutionis Benedicti XIV. intelligenda esse de Laicis Italo-Graecis, qui velint ad latinum Riturum transire, ut perseverantes in statu laicali latinis sequantur caeremonias, non autem de iis, qui statum ecclesiasticum suscepturi sunt, pro quibus Sedis apost. licentiam necessariam esse opinatur juxta verba dictae Constit. §. 7. n. 20., ubi sic legitur: „Ut in Ordinibus conferendis quaelibet Riturum confusio et commixtio penitus tollatur et unius Ritus Antistes alterius Ritus Clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuae suspensionis a Divinis poena prohibemus, ne latinus quicumque Episcopus etiam subjectos suae jurisdictioni Graecos neque graecus quilibet Antistes Latinos quovis praetextu sine speciali Sedis apost. licen-

tia ad primam tonsuram vel ullum Ordinem sive minorem sive majorem promovere praesumat, alioquin tam Ordinans quam Ordinatus perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant.“

Perpendendum tamen est: num potius hic loquatur SS. Pontifex de iis Graecis vel Latinis, qui Ordines suscipiunt ab alterius Ritus Antistite cum animo retinendi suum pristinum Riturum, non autem animo ad novum Riturum transeundi. Ratio dubitandi exinde oritur, quod Graeci post transitum ad latinum Riturum eis permissum de licentia Episcopi non amplius Graeci videntur sed Latini. Praeterea in iis, qui latinum institutum susceperunt, dum latine ordinantur, non videtur adesse illa Riturum confusio et commixtio, quam voluit SS. Pontifex auferre. Atque demum nimiam involveret duritiem hujus prohibitionis extensio ad Graecos legitime amplectentes Riturum latinum de licentia Ordinarii, quia hoc pacto perpetuo arcerentur ab Ordinibus, quos nec latine juxta sensum Archiepiscopi nec graece suscipere possint, cum latinus Ritus a Graecis semel assumptus absque apost. dispensatione deserere nequeat, ut cavetur in dicta Constit. §. 12. n. 13.

Interpretatio autem hujusmodi, quod in dicto n. 20. SS. Pontifex loquatur de Graecis et Latinis ordinatis ab alterius Ritus Antistite cum animo tamen retinendi suum pristinum Riturum, suaderi etiam videtur a sequentibus ejusdem Constit. numeris. Nam sub n. 21. decernitur, prohibitionem antecedentis n. 20. ad Latinos maxime extendi, qui castitatem profiteri nolentes juxta Riturum graecum Ordines suscipiunt sub spe retinendi Uxores; quae quidem specialis extensio ad Latinos cupientes graecum institutum suscipere innuere videtur in praecedenti numero locutum

*) Vd. hanc encyclicam sub art.: *Ritus graec.* p. 243 t. III.

fuisse non de transeuntibus ad novum institutum, sed de Latinis et Graecis retinentibus proprium antiquum Ritu. Et sub num. 22. dispensatur cum iis Italo-Graecis, qui usque ad diem editae Constitutionis ab Episcopis latinis bona fide et absque dispensatione apost. ad clericalem tonsuram vel minores seu majores Ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium graecum Ritu retinendi. Ex his enim videtur conjici posse, poenam suspensionis in antecedenti n. 20. indictam fuisse contra ejus generis personas, cujus sunt illae in hoc posteriori numero ratione temporis exceptae, quae scilicet ordinantur ab alterius Ritus Antistite, cum animo tamen proprium graecum Ritu retinendi.

De hujus etiam generis personis videtur loqui SS. Pontifex sub n. 23. et 24., ubi dirimere voluit quaestiones non definitas in antecedenti n. 20.; ibi enim decreverat, necessariam esse licentiam S. Sedis, ut latinus Episcopus aliquem ordinem conferat Italo-Graecis indicta transgressoribus poena perpetuae suspensionis, sed nihil praescripsit de Ritu retinendo ab hujusmodi promotis deque ratione illorum ascensus ad majores Ordines. Hic autem declarat, quod, si latinus Episcopus Ordines contulerit Italo-Graecis cum dispensatione apost., ita ut Ordinati ab illo in suo graeco Ritu ministrare debeant, possit illis permittere ascensum ad reliquos Ordines Ritu graeco absque alia dispensatione apost.; sin vero in prima ordinatione non praecesserit dispensatio apostolica, illicita judicatur ordinatione tamquam contraria huic Constitutioni, et graeci Clerici hujusmodi sic latino Ritui alligantur, ut ab eo ad graecum redire amplius non liceat sine apost. dispensatione solumque poterit Episcopus illum a se ordinatum, si eum idoneum judicaverit, post obtentam

absolutionem a suspensione vel ipse Ritu latino ordinare vel ab alio latino Praesule ordinari facere. Cum autem hic loquatur de Italo-Graecis, qui ordinantur a latino Episcopo, ita ut in suo graeco Ritu ministrare debeant, et quoad eos declaretur necessaria absolutio a suspensione, quando ordinantur a latino Episcopo sine licentia apost. Sedis, aliud hinc oritur argumentum, quod in supradicto n. 20., ubi eadem suspensionis poena indicitur, locutum fuerit de iis, qui Ritu graecum velint retinere.

Denique sub n. 25., ubi agitur de Italo-Graecis promotis Ritu latino et latine viventibus, istorum respectu magis necessaria declaratur apostolica dispensatio pro reditu ad Ritu graecum, non autem pro ascensu ad ordines majores Ritu latino, ibi: „Ut vero ad majores ordines Ritu latino ascendant, dispensatione non indigent“; immo quoad eosdem latine viventes nec etiam enunciat nec necessaria absolutio a suspensione, requisita caeteroquin in antecedenti n. 24. quoad Graecos latine ordinatos cum retentione graeci Ritus. Id autem non obscure innuere videtur poenam suspensionis indictam n. 20. non afficere Graecos latine ordinatos animo amplectendi Ritu latinum. Favent etiam huic interpretationi ea, quae sancita sunt §. 9. n. 13. his verbis: „Conservationi Ritu graecorum intenti neque expedire ducimus neque facultatem facimus, ut latini Ordinarii juxta Ritu latinum ad Sacerdotium promoveant aliquem Italo-Graecum Dioecesanum, qui Graecorum more baptizatus fuerit atque etiam vixerit, ut scilicet Graecorum plebi latino Ritu ipse ministrans praesit.“ Specialis haec prohibitio Graecum ordinandi juxta Ritu latinum ad hoc ut Graecorum parochus efficiatur illorumque curam gerat Ritu latino, ostendere

videtur, haud prohibitam censi in aliis casibus Graeci ad Ritu latinum admissi ordinationem juxta Ritu latinum.

Sed hac etiam retenta interpretatione adhuc inquirendum esset: num Oratores latine susceperint Ordines animo transeundi ad Ritu latinum, de quo nihil enunciat in relatione Archiepiscopi, et num literae dimissoriales proprii Ordinarii, quarum vigore fuerunt latine ordinati, secumferant eam Episcopi dioec. licentiam, quam pro transitu laicorum de Ritu graeco ad latinum requirit Constitutio Benedictina. Et ubi etiam literae dimissoriales praedictae non secumferant idoneam licentiam, perpendendum insuper esset: num Oratores ob hujusmodi licentiae omissionem incurrerint suspensionem, quae indicta minime legitur in dicta Constitutione pro simplici transitu ad Ritu latinum sine licentia Ordinarii.

Quodsi Oratores his non obstantibus videri poterunt in suspensionem incurrisse propter ordines susceptos a latino Episcopo, ulterius disserendum erit de contracta ab illis irregularitate propter exercitium susceptorum Ordinum.

Archiepiscopus in transmissa relatione repetit Oratorum irregularitatem a Constitutione Benedictina §. 7. n. 15., sed indicati textus censura ad rem pertinere non videtur, cum ibi agatur de irregularitate contracta non per exercitium Ordinis post incursum suspensionem sed per ipsam minorum Ordinum collationem obtentam a schismatico Episcopo. Propius ad rem accedit dicta Constitutio in eodem §. 7. n. 9 et 10. decernens quoad Italo-Graecos, quod, si suspensi in s. Ordinibus ministraverint, efficiantur irregulares sicut et Latini. Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultas a

S. Sede ap. obtinere oporteat; nam Clerici etiam in minoribus Ordinibus constituti irregulares efficiuntur, quoties suspensione devincti exercent solemniter actum proprium et peculiarem sui ordinis minoris. Navarr. in manual. c. 27. n. 163.; Barbosa de Off. et Potest. Ep. part. 2. alleg. 8. n. 10.

Quatenus vero suspensionis et irregularitatis obstaculum vel non subsistere videatur vel removeri contingat beneficio absolutionis et dispensationis, expeditus patebit oratoribus ascensus ad majores ordines Ritu latino absque ope alterius dispensationis; nam si ordinatione eorumdem illicita apparuerit, nihilominus graeci Clerici hujusmodi sic latino Ritui alligantur, ut ab eo ad graecum redire amplius non liceat sine apost. dispensatione, ut sancivit s. m. Benedictus XIV. in dicta Constitut. §. 7. n. 24., decernens praeterea, „quod neque latino Episcopo seu Ordinario amplius fas sit, graecum Clericum a se, ut praemittitur, latino Ritu in minoribus Ordinibus constitutum cum literis dimissorialibus ad graecum Antistitem remittere, ut ab eo ad s. Ordines graece promoveatur sine dispensatione ap., sed debeat illum potius, si quidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione vel ipse Ritu latino ordinare vel ab alio latino Praesule ordinari facere; a Ritu enim latino ad graecum, ut praediximus, nec redire nec transire fas est absque dispensatione apost.“

Si vero licite ordinati visi fuerint, eo minus illis patebit reditus ad Ritu graecum, „nam latinus Ritu semel assumptus absque speciali Sedis apost. dispensatione deferre nequit. Ut igitur Italo-Graeci hujusmodi ad Ritu graecum redeant, indigent ap. dispensatione; ut vero ad majores ordines Ritu latino ascendant, dispen-